



Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem Sancti Thomæ Tomvs ...

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Dispvt. CIX. An verbum, seu Filius sit eiusdem naturæ cum Patre.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

ostendimus disp. 18. cap. 1. loquimur autem de Christo, quem filium Dei appellat, sicut paulo ante eodem Psal. *Filius meus es tu, &c.* Deinde cum dicitur, nequando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta, in Hebræo non est, Dominus, sed verbum, irascatur refertur ad filium, quare cum 70. Dominus, addiderunt, filium ipsum significarunt esse Dominum Deum, de quo etiam intelligitur illud cum exarserit in breui ira eius, beati omnes qui confidunt in eo quæ omnia manifeste filij diuinitatem prædicant, tanquam personæ à Patre distinctæ.

Sed iam proferamus aliqua testimonia noui testamenti, quibus hæreticos etiam reuincamus. Ioan. 5. sicut Pater habet vitam in se ipso, sic dedit & Filio vitam habere in semetipso, habemus ergo Patrem, & Filium. Eos vero eiusdem substantiæ & naturæ esse contra Arianos infra probabitur Ioann. 1.

Vniuersus qui est in sinu Patris, ipse narrat. Ioann. 14. Ego in Patre, & Pater in me est, ubi distinctio personarum manifeste ostenditur. Nam licet Dei attributa dicantur in Deo esse, imo etiam apud Deum ut Psal. 120. apud Dominum misericordia, & copia apud eum redemptio, & Psal. 55. Apud te est fons vitæ, tamen nunquam diceretur vnus in alio esse, & contra, nisi personaliter distinguerentur, de quo modo circumfessionis dicemus disput. 169. Filius denique sæpenumero in Scriptura nominatur. Sed non solum pluralitas personarum in nouo testamento, verum etiam Trinitas proprijs nominibus notata traditur. Matth. vlt. Baptizantes enim nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. 1. Ioan. 5. Tres sunt, qui testimonium dant in celo, Pater, verbum, & Spiritus sanctus, et hi tres vnus sunt. De quo testimonio disput. sequenti cap. 2. plura dicemus. Denique Ioan. c. 5. cum venerit paracletus quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ubi non solum tres nominantur, sed aperte etiam distinguuntur. Primum cum dicitur Spiritus missus à Patre & Filio, ab eis etiam distinguitur, ut disput. 170. manifeste ostendimus. Deinde cum dicitur, quem ego mittam à Patre, Filius à Patre distinguitur, quia denotat ibi se à Patre accepisse virtutem mittendi, sicut ipsi dicit, quam per generationem accepit: ut ibidem dicemus. Nunc ergo satis sit in genere probasse contra Sabellianos & Iudeos, plures, imo tres esse personas in diuinis: nam de earum proprietate, & natura contra alios hæreticos postea differendum nobis est. Eadem veritas definita est in omnibus Concilijs Generalibus post Nicenum in quibus recipitur Symbolum & confessio illius: in ijs præsertim, quæ contra Atrium definiunt diuinitatem filij. Contra Sabellianos quoque disputant ex Patribus Euseb. lib. Hist. cap. 1. & lib. 10. cap. 29. Sixtus Papa in Epist. ad Dionis. Leo I. Epist. illa 93. c. 1. Tertullian. aduersus Praxeam. Epiphani. loc. à nobis allegatis in 1. cap. Euthym. 1. par. Panoplia titulo decimo.

Theologi vero nostri temporis, qui contra hæreticos disputant, multa argumenta, quibus noui Sabelliani videntur, afferunt. & in eorum solutionibus satis immorantur: sed quia in ipsis variaz difficultates tanguntur, quæ in varijs huius materie disputationibus serio pertractandæ sunt, illis nunc superfedere operæpretium iudicauit. Ex ijs enim quæ suis locis dicenda sunt, nenia, & pueriles obiectiones hæreticorum facit. Vazquez in 1. partem Tom. II.

cile euanescent. Iam ergo cum alijs hæreticis dimicemus.

DISPUTATIO CIX.

An Verbum seu Filius sit eiusdem naturæ cum Patre.

Quam hæretici diuinitatem filij negauerint, c. 1.

Diuinitas & equalitas Filij cum Patre contra hæreticos ex Scripturis probatur. c. 2.

Eadem veritas ex Patribus ostenditur. c. 3.

Argumenta Ariatorum, c. 4.

Ad significandum Filium & Patrem esse eiusdem naturæ, recte vti Ecclesiam nomine dixerunt, Homousios, hoc est, consubstantialis. c. 5.

CAPUT I.

Quam hæretici diuinitatem negauerint.

Inter eos, qui tres personas apud Deum confitebantur nonnulli fuerunt hæretici, qui de earum natura non bene senserunt, & primū quidem de persona filij dixerunt non esse eiusdem dignitatis, & substantiæ cum patre, sed creaturā Deo inferiorem, eamque in tempore incepisse. Recentiores aliqui hunc errorem falso adscribunt Ebioni & Cerintho, falluntur tamen. Hi enim hæretici solum docuerunt Christum non esse Deum, ut constat ex Ireneo libro primo, capite vigesimo quinto & 26. ex Philastro in suo libell. de hæres. ex Epiphani. hæresi 18. & 30. quod sane possent affirmare Ebion & Cerinth. etiam si tres personas Trinitatis equales in natura concederent.

Quare nec illi contra Trinitatem, nec contra aliquam personam illius docuisse videntur. Eandem hæres. tribuunt Origeni viti grauissimi, Epiph. in Epist. ad Ioan. Episcopum Hierosolym. quæ inter Epistolas Hierony. est 60. idem etiam hæresi 64. Theophilus Episc. Alexan. in suo patriarchali lib. 7. August. lib. de hæresi cap. 43. eo quod dicebat Origenis, ut ipsi testantur, ita esse absurdum asserere patrem videri à filio, sicut filium ab Spiritu sancto: aiebat præterea filium comparatum sanctis hominibus, esse veritatem: sed si cum patre conferatur, esse mendacium. Vnde colligebat, filium non esse orandum.

Verum Origenes lib. 1. Peritarchon cap. 2. & cap. 3. multis probat, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum equales esse, & eiusdem naturæ, & c. 3. post medium sic ait. Porro autem in Trinitate nihil minus dicendum est, quæ sunt verba Athanasij in symbolo: multa alia similia habet lib. 7. in Epistolam ad Roman. quocirca idem Athanas. in Epistola de decretis Nycenæ Synodis vtriusque testimonio Origenis contra Arianos, & ait: nullum ex antiquis patribus pro hoc errore ab Arianis allegari potuisse. Fateor quidem Origenem in euangelium Ioannis 3. tom. circa finem, non tam recte de filio Dei fuisse locutum: sed forsitan illa verba inserta etiam ab aliquo Ariano fuerunt: aut, ut ait Vincentius Lirinensis. si ipse cum Arianis non sensit: illis tamen causam erroris præbuit. Origenem defendunt præter Rufinum, alij Patres apud Socratem lib. 6. histor. ca. 15. & ex recentioribus Picus Mirandul. in apolo-

Author huius erroris non fuit. Ebion.

Irenæus.

Hanc heresim tribui Orig. falso tamen.

Epiphani. August. Origenes.

Athanas.

Rufinus.

Arrius. c.
fuit huius
hæresis au-
thor.

gia de hære, & Sixtus Senen. annot. 165. fortas-
sis hic error, quem Epiph. illi adscribit, in aliqui-
bus Græcis codicibus ab aliquibus malitiose in-
sertus est, vt testatur Ruffinus in apologia pro
ipso, nam in Latinis ego non inveni, aut certe disci-
puli Origenis dicti Otigenistæ, multis alijs er-
roribus sui Magistri etiam hunc addiderunt. Fuit
ergo huius hæresis primus & præcipuus Author
Arrius à quo vsque in hodiernam diem hæresis
nomen delumpfit. Hic fuit presbyter Alexandri-
nus tempore Syluestri Papæ, & Constantini Ma-
gno Imperatoris, & vsque ad eam in Ecclesia hære-
sis eius inuoluit, vt vere vniuersum mundum in-
fecerit, & à Gothis in Hispanias inuecta, vsque ad
Recaredum Regem tempore Leandri Episcopi
Hispalensis perseuerauerit. Ex hac multæ aliæ hæ-
reses exortæ fuerunt, eodem nomine appellatæ,
quas ponit Sanderus lib. 7. de visibili monarchia
sub syluestro, & Constantino sub anno 214. ex
quibus tres præcipuas referemus.

Vnde Arri-
ni dicti sunt
alii autho-
res huius
hæresis.
Aetiani.

Fuerunt ergo quidam hæretici dicti Arri-
ni, seu Eunomiani. alij Macedoniani seu Semi-
arriani, tertio sunt nonnulli qui manent sub pro-
prio nomine, & dicuntur Arriani, quorum ca-
put fuit Aetius. Primum Aetiani dicti sunt ab
Aetio Syro. Hi asseruerunt filium esse alterius
substantiæ, quam sit pater, fuerunt sub Constanti-
no Imperatore, & Liberio Pontifice, vide Ni-
cephorum libro nono capite decimo septimo.
Dicti autem sunt dissimiles, quia dissimilem di-
cebant esse filium patri, id est, non coexistentia-
les, vt habet Tripartita libro quinto cap. 42. quia
affirmabant, filium non existentibus, hoc est, ex
nihilò factum. His consensit Eunomius eodem
tempore sub Constantino, & Liberio de quo le-
ge Nicephorum lib. 11. cap. 11. & Ruffinum lib.
11. cap. 25.

Niceph.

Macedon.

Epiphani.

Aug.

Maced.

Alij noui

Arriani.

quid doceat

Maximius.

4.

August.

Metagismo

itarum

hæresis.

Secundo fuerunt Semiarriani, quorum dux
fuit Macedonius Episc. Constantinopolit. à quo
dicti sunt Macedoniani, qui quamvis dicerent, fi-
lium esse maiorem patre, similem tamen ei esse
prædicabant, ideo hi Macedoniani vocati sunt
Semiarriani, quod alij Arriani seuerius de filio
loquerentur, quid autem de Spiritu sancto sen-
sissent, sequenti disp. videbimus. Horum omnium
fecerunt mentionem Epiphani. hæresi 72. & 73. &
Aug. lib. de hæresi ad cap. 49. vsque ad 54. & Theo-
doretus lib. 4. hæreticarum fabularum, Nicepho-
rus, & Rufinus locis cit. Fuerunt etiam noui qui-
dam Arriani, quorum meminit Aug. lib. 6. de
Trinit. c. 1. qui filium æternum esse dicebant, li-
cet inferiorem Patre, quos aliqui nostri temporis
sequeuti videntur, ex quibus fuerunt qui Conc. A-
riminenſi interfuerunt. Hi enim ex substantia Pa-
tris genitum esse filium dicebāt, sicut etiam Ma-
ximus apud August. libro aduersus eundem,
non autem ex nihilo, sicut Arrius, & alij seue-
riores Arriani. Sed nescio, qua ratione Augustin.
cap. 51. dicat Macedonismum de Patre & filio recte
sensisse, & solum contra Spiritum sancti diuini-
tatem docuisse: cum oppositum reliqui Patres af-
firmant. Arrianis postea accesserunt Metangis-
monitæ, quos memorat August. de hæres. c. 58.
qui dicebant, filium esse in Patre, sicut vas mi-
nus in maiori, & ob id merito eo nomine vocati
sunt, quasi transfusantes inquit Aug. οὐρανίου enim
Græcè est, quod Latine vas, & μετα idem quæd.

trans, vnde metangismon quasi vnus vnus in
liud infusio. Variant autem Patres. & Sanderus
assignando tempore, quo isti docuerunt. Patres
enim ait eos fuisse anno 211. sub Imperatore He-
liogabolo, & Vrbano Papa, quæ ratione antiquio-
res fuerunt Arrio. Sed Sander. refert sub Con-
stantio Imp. & Iulio Pontif. & ideo eos facit Ar-
rio posteriores. Postea eundem errorem sequen-
tius est Varimandus contra quem scribit Idacius
clarus Hispanus, cuius opus habetur 5. tom. Bi-
bliothecæ Sacre; consensit deinde Petrus Alia-
lardus, vt refert Bernardus Epistola 190. qui gra-
dus in Trinitate ponebat, tribuens Deo Patri om-
nipotentiam, filio semipotentiam, Spiritui san-
cto nullipotentiam: cum tamen idem fateretur
filium, imò Spiritum sanctum esse Patri consub-
stantialem, vt notauit ibidem Bernard. quod qua
ratione cum priori constet non intelligi.

Fuerunt etiam in hoc errore ex sectarijs huius
seculi Lutherus in lib. contra Latonium, vbi ait:
Anima mea odit vocabulum Homousion. Quæ sane vo-
ce consulto vsi sunt Patres in Concil. Niceno, vt
testatur Athanas. in Epistola de decretis illius Syn-
odi, vt æqualitatem filij cum Patre ostenderent.
Falso autem asserit Lutherus, B. Hieronymum
scripsisse latere in vocabulo illo, *Homousion*, vene-
num: id enim non de nomine, *Homousion*, sed de
nomine Hypostasis dixit, vt disputat 124. videbi-
mus. Nec iolam vocem, *Homousion*, sed etiam rem
ipsam significatam exolam habuit Lutherus. Nam
in primum caput Genesios filium appellat in-
strumentum Patris, quo modo loquebatur Ar-
rius, & ex publicis præcationibus expungi cura-
uit illud, *Sancta Trinitas vnus Deus, vnusque vnus*,
Deleuit etiam illud 1. Epistola Ioannis 5. *Tres sunt*,
qui testimonium dant in celo, &c. Et hi tres vnus sunt.
Deinde Melancthon in lib. contra Stancarum, &
in Epist. ad electorem Brandeburgensem inquit,
*Filius orat, intercedit, postulat, tum etiam, Filius mis-
ser est Patris Sacerdos, Pontifex, & mediator.* Denique,
Filio imperat Pater, postula à me, & dabo tibi gentes, &c.
Quæ omnia tribuit filio, etiam secundum diui-
nam naturam. Hæc omnia Arrius asserbat, vt
colligitur ex August. in lib. contra sermonem Ar-
rianorum, dicebat etiam, *Filius Dei secundum diui-
nitatem, gloriam sibi dari acceperat, orat.* Ioan. 17.
idem referunt ex Arrio Basil. lib. 4. contra Euno-
mum, August. tractatu 105. in Ioan. Cyrill. 10. li-
bro Thesauri, cap. 2. & 9. & lib. 11. in Ioan. cap. 17.
& id genus alia.

Tandem Valentinus Gentilis, de quo diximus
quæstione 11. vt refert Benedictus Aretius in his-
toria de supplicio Valentini Gentilis, postquam
Tritheistarum errorem docuit, asserens tres
Deos, videns nulla ratione cum scriptura id posse
defendi in Arrianismum declinans, affirmans
filium, & Spiritum sanctum esse inferiores Patre
non quidem ex nihilo productos, sicut antiqui
Arriani dogmatizabant; sed ex ipsa substantia Pa-
tris: cum nouis Arrianis, quos supra commemora-
uimus, Patrem appellabat. *Arrius* id est asser-
tatoris, & à se ipso Deum, filium vero, & Spiritum
sanctum essentiatos, vt eos inferiores Patre
esse, denotaret.

CAPIT.

Diuinitas, & aequalitas filij cum Patre contra hereticos
ex scripturis probatur.

Permulti contra hos hereticos, vt probent diuinitatem, atque æqualitatem filij cum Patre, vtuntur scripturis, quibus diuinitas Christi adstruitur: quæ sãne tam ex veteri testamento, quam ex nouo illustrata sunt: eaque magni momenti essent ad diuinitatem filij contra hereticos comprobandum, si omnes, qui negant diuinitatem Christi Arriani essent: sed quia multi eam negant, non quia putent, filium secundum propriam naturam esse inferiorem Patri: sed quia existimant, in Christo esse tantum naturam humanam cum sua propria persona creata, vt asserbat Nestorius: tam etiam, quoniam ex professio diuinitas filij contra Nestorium est nobis 3. parte q. 2. demonstranda: ideo his modo superse- dere, & illis solum vt, quæ de filio, vt est secunda in Trinitate persona, loquuntur, operæpretium duximus. Atque in primis ea testimonia veteris testamenti & à nouo explicata, quæ disputat. præcedenti cap. allata sunt ad probandum personarum pluralitatem in Deo, præsertim etiam instituto accommodari possunt. Nam in Psal. 44. ponitur Deus vngens, & Deus vnctus: huius autem thronus permansurus in seculum, & virga regni eius dicitur æquitas, quæ omnia in putam creaturam conuenire non possunt. Deinde fauet illud Psal. 2. Filius meus es tu, quoniam Filius Dei dicitur necessario debet ex substantia ipsius ita generari, vt eandem cum eo habeat naturam. Nam si inferiorem haberet, de substantia ipsius & ex vtero generari non diceretur, nec Filius eius esset, nisi quodam imperfectissimo modo, de quo testimonio supra ibi diximus, quibus diuinitas filij confirmatur. Faciunt etiam loca illa eiusdem veteris testamenti, in quibus & Deus mittens, & Deus missus continetur. Sin. Deus est missus, & Deus mittens, necessario erunt duæ personæ vt minimum eiusdem naturæ diuinæ: quare aut Filium aut Spiritum sanctum æqualem mittenti cogitur concedere Arrius: at certe si ille duas fateretur in diuina natura personas æquales, non negaret, Filium consubstantialiorem.

Sed proferamus iam testimonia noui testamenti, quæ manifestissima sunt. Primum est præclara illa Petri confessio ab ipso Christo admodum commendata Matth. 16. Tu es Christus Filius Dei viui. Cum enim dixit Filium Dei viui, naturalem Filium Dei esse indicauit, qui etiam alibi dicitur vngentus Ioan. 3. & proprius ad Rom. 8. nam si solum esset adoptiuus, vt responderet Arrius, nec vngentus nec proprius diceretur, cum multi etiam alij sint. Tum etiam si Petrus solum filium Dei adoptiuum Christum pronuntiaret, cur eius confessio cæteris præferretur? nam qui ipsum putabant esse vnum ex prophetis filium Dei adoptiuum confitebantur, quod si Christus est filius Dei naturalis, non adoptiuus, certe in eadem natura debet esse, in qualibet enim alia non nisi adoptiuus esse posset. Eodem spectant alia testimonia, in quibus Iudæi Christum accusabant, quod se fecisset, aut prædicasset filium Dei Ioan. 9. Nos legem habemus, & secundum legem debet mori. Vnde quæ in 1. partem Tom. II.

quia Filium Dei se fecit: & Ioan. 10. cum Christus dixisset, se filium Dei esse, Iudæi intelligentes se Deum nominasse, & ita æqualem se patri fecisse: respondit: De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, & quia tu homo cum sis, facis te ipsum Deum Ioan. 5. Magis quærebant eum Iudæi interficere, quia non solum soluebat sabbatum, sed & patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. Neque enim vnquam Christus se excusauit quod dixisset, se esse Deum vel filium Dei. Quod si ea esset Iudæorum calumnia, certe nequaquam eam ferret, sed sicut alias etiam, quas ipsi falso obiecerant, contunderet, id autem nusquam fecit, quin potius c. illo 5. Ioan. post verba cit. sic ait. Amen dico vobis, non potest filius a se facere quidquam, nisi quod viderit patrem facientem, quæcunque enim ille fecerit, hæc & similiter facit, &c. quibus verbis non solum non respondet Iudæis, quasi calumniatoribus, sed potius se ipsum iterum asserit filium Dei, & eadem se omnino facere, quæ facit Pater.

Secundum testimonium est Ioan. Ego & pater vnus sumus, quo test. vtuntur Patres communi- ter contra Arrium, vt filij diuinitatem probent, hic ergo primum distinctio personarum asseritur, cum dicitur, Ego & Pater, deinde vnitas essentia, cum subditur, Vnus sumus, loqui autem de vnitate essentia, & potentia, probant Basil. lib. 1. cõtra Eunomium circa finem, & Chrysost. in eum locum, ex præcedentibus. Christus enim dixerat, Et non rapit eas, (scilicet oues) quisquam de manu mea, confirmat deinde his verbis. Nemo potest rapere de manu patris mei, ego & Pater vnus sumus, ac si ea maiori, & minori positis, colligeret hanc conclusionem, quæ posuerat, ergo & as nemo potest rapere de manu mea. Vt autem hanc conclusionem inferret, debuit in minori illa intelligere, vnus sumus, essentia & natura, vt inde colligeret æqualem vtriusque esse potestatem. Deinde probat Augustinus & Chrysostomus in eum locum, quia audito eo verbo, scandalizati sunt. Iudæi intelligentes CHRISTVM se Patri Deo fecisse æqualem; de quo iam antea dictum est.

Sed obijciunt Transiliani, Christus se excusauit apud Iudæos, testimonio illo scripturæ, Ego dixi Dñs es, &c. hoc modo, si illi ad quos sermo Dei factus est, dicuntur dii, cur non diceretur Filius Dei ille, quem pater misit in mundum & sanctificauit? ex quo solum sequitur Christum se Filium Dei nominasse eo modo quo Prophetæ, & iusti filij Dei dicuntur. Verum vt optime notauit Hilarius 7. de Trinitate Christus hoc modo potius argumentatur. Si iusti & prophetæ filij Dei vocari possunt, quanto magis ille, quem Pater peculiari modo in vnitate personæ diuinæ sanctificauit. Possemus etiam dicere, sicut indicat Chrysostomus Christum primum respondisse Iudæis & calumniam eorum contulisse hoc pacto. Frustra dicitis me blasphemasse, nominando me Filium Dei, si plures alij ad quos sermo Dei factus est, etiam dii dicuntur. Deinde reiecta calumnia ostendisse ex operibus, se esse verum Deum, his verbis. Si non facio opera Patris mei, nolite mihi credere, & vt cognoscatis quia ego in Patre, & Pater in me est. Porro Iudæos in sua opinione mansisse, quia diceret, se esse æqualem Patri colligitur ex eo, quod statim addit Euan- gelista,

3. Testim.
2. Ioan. 5.

gelista, Querebant ergo eum apprehendere: quem scilicet antea lapidare volebant, certe ob eandem omnino causam: nam si illis Christus dixisset, se non esse Deo æqualem, sed solum Filium adoptione sicut alij erant propheta: odium certe deposuissent, aut voluntatem ipsam lapidandi, & occidendi mutassent.

Tertium testimonium est, t. Ioan. 5. tres sunt, qui testimonium dant in celo, Pater, verbum, & Spiritus S. & hi, tres vnum sunt. Et tres sunt, qui testimonium dant in terra Spiritus, aqua, & sanguis & hi tres vnum sunt, quibus verbis significat Ioan. testes illos non solum esse cœlestes, quia erant in celo: plures n. alij erant in celo, scilicet Angeli, qui Christi natiuitatem, & alia mytheria annunciauerant: sed esse diuinos testes, tres scilicet personas Trinitatis: id quod verba sequentia clarius indicant.

Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est: quoniam hoc est testimonium Dei, quod maius est quoniam testificatus est de filio suo. Qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in seipso. Et infra. & hoc est testimonium, quoniam vitam eternam, dedit nobis Deus, & hæc vita in filio eius est: ac si dicat, si terreno testimonio fidem habemus & propter illud credimus, Christum esse Filium Dei & verum Deum, multo magis diuino testimonio adducti id credere debemus: terrenum autem testimonium, quod Ioannes humanum appellauit, est trium illorum, quæ testimonium dederunt in terra tempore passionis nempe, Spiritus, quia valde exclamans post tot tormenta expirauit, Aqua & sanguis, quæ ex latere Christi fluxerunt. Hæc enim tria manifestè indicant, Christum non naturali, & humana, sed diuina virtute tormenta sustinuisse: quare videns Centurio, quod voce magna expirasset, dixit Marci 15. Vere hic homo Filius Dei erat, & Luc. 23. vere hic homo iustus erat, hæc ergo testificantur in terra, Christum esse Filium Dei. Sed testimonium Dei maius est: hoc autem etiam perhibent tres, qui sunt in celo, id est tres diuinitatis personæ testificantur autem, vitam eternam nobis esse in Christo, si crediderimus ipsum esse Filium Dei. Nam paulo ante citata verba sic ait Ioannes, Quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit quia Iesus est Filius Dei, & in fine capituli, scimus, quia Filius Dei venit & dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, & simus in vero Filio eius, hic est verus Deus, & vita æterna. Tres ergo qui sunt in celo, Pater, verbum, & Spiritus sanctus, testificantur, quoniam Iesus est Filius Dei, & verus Deus: addit Ioannes, & hi tres vnum sunt, quibus verbis ostendit, eiusdem esse naturæ & substantiæ.

Sed obijcit primo Blandrata in 2. disputatione Albana, verba illa, Tres sunt qui testimonium dant in celo, à solo Hieronymo legi: fallitur tamen. Nam ita quoque legerunt Higinus Papa Epistola, I. Cyprianus libro de vnitæ Ecclesiæ, Athanasius I. libro de vnitæ Deitate Trinitatis, Idacius in libro aduersus Varimadum, qui habetur quinto tomo Biblioth. sacræ, Fulgentius libro ad obiectiones Arrianorum circa finem libri.

Secundo ita obijcit idem hæreticus, eodem modo Patrem, Filium, & Spiritum sanctum esse vnam, sicut etiam spiritus, aqua, & sanguis, atqui hæc tria non sunt vnum essentia, sed solum testimonio, quia idem testificantur: ergo & Pater,

Filius, & Spiritus sanctus sunt vnum eodem modo. Respondeo primum illud, & hi tres vnum sunt, cum sermo est de Spiritu, aqua, & sanguine, in multis vulgatis codicibus non haberi. Deinde, hoc prætermisso, quia in Græcis omnibus, & communiter in latinis vulgatis reperitur, dico, aliter haberi, cum de Spiritu aqua, & sanguine dicitur, in Græco enim sic legimus. καὶ οὗτοι οἱ τρεῖς εἰς ὅ ἕνα, hoc est, & hi tres in vnum sunt. At vero de Patre, & Filio, & Spiritu sancto dicitur, & hi tres vnum sunt, ut indicaret Ioannes, tres illos testes in terra, esse solum vnum testimonio, cum ait, in vnum scilicet testimonium sunt, tres autem, qui in celo sunt, esse vnum non solum testimonio, sed natura etiam, & substantia, in quem sensum Patres citati verba Ioannis interpretantur. Adde, quod si, cum Blandrata concederemus, illud, & hi tres vnum sunt, de tribus Trinitatis personis eodem sensu dici, atque de Spiritu aqua, & sanguine, nihil roboris amitteret allegatum testimonium. Nam testimonium Dei, quod de Christo diximus perhiberi, manifestè eius diuinitatē comprobatur, ut superius ostensum est.

Tertio obijcit idem Blandrata contra illud, quod ex eodem capite Ioannis allegauimus, hic verus Deus, & vita æterna, Christum esse verum Deum temporalem tamen, quia ex tempore ei communicata fuit diuinitas iuxta illud Apocal. 5. Dignus est agnus, accipere virtutem, et diuinitatem. Verum cū alia ratione Christus non possit esse Deus, nisi quia hypostaticè eius humanitas vnita est verbo Dei, non possumus ipsum Deum temporale appellare, quia persona illius æternæ est, nam quis Deus verus esset temporalis?

Quarto Erasmus, qui omnia fidei nostræ fundamenta clanculum euertere moliebatur, respondet verba illa, hic est verus Deus, & vita æterna, referri non ad Christum, sed ad Patrem, hoc patet: ut simus in vero filio eius, hic (nimirum Pater huius Filij) est verus Deus. Sed cum nullum habeat auctorem, quem sequatur, de suo cerebro eam interpretationem confinxisse manifestum est: & quàm sine fundamento eam confingere, patet: quia pronomen, hic, demonstrat potius proximam personam quam remotam: proximam autem præcesserat, in vero Filio eius: Et in Græco sic legitur, in vero filio eius Iesu Christo, hic est verus Deus & vita æterna: consonat etiam illa sententia eiusdem Ioan. in Euang. ca. 17. Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem, misisti Iesum Christum, illum ergo dixit Ioannes capite illo 5. esse verum Deum, quem etiam appellauit vitam æternam. Cum ergo Christus dicitur vita æterna, sicut supra etiam eodem cap. Et hæc vita æterna in filio eius est, de eodem etiam dixisse, credendum est, verba illa, hic est verus Deus, & vita æterna. Multa alia contra Erasmus doctè disputant Episcopus Canariensis super hunc articulum disput. 1. par. 2. quæ consulo prætermittit.

His accedere possunt testimonia ad Heb. 1. ubi sæpius Paulus etiam ex scriptura veteri probat diuinitatem Christi, & quauis, ut superius notauimus, testimonia, quæ de Christi diuinitate loquuntur, non multum contra Arrianos probent, qui posset aliquis fateri Christum esse Deum contra Nestorium, sed non secundam in Trinitate personam, tamen prædicta testimonia cum suppo-

21.
Quid vocat
Ioan. terrenū
testimoniū.

Marci. 15.

Ioannes.

ma.

12.

Blandrata
obiectionem
refellit.
Hieronym.
Higinus.
Cyprian.
Athanas.
Idacius.
Fulg.

Secunda
eiusdem
obiectione.

Solutio
prima.

nant distinctionem Christi à Patre æterno, optineatiam Arrium cōiungunt. Inter alia dicit Paul. de Christo, *qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius. portansque omnia verbo virtutis sue*, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram in excelsis, &c. Vbi ostenditur distinctio personalis, cum dicitur, *& figura substantiæ*. Græcè, *Hypostasis*, hoc est suppositum vel personæ vt explicabimus infra disput. 13. cap. 4.

Deinde cum dicitur, *portansque omnia verba virtutis sue*, denotat omnipotentiam, qua solo nutu gubernat vniuersa, vt ostendimus infra quæstione 34. art. 2. exponentes eundem locum, propter quod testimonium, vt scribit Theodoretus ibidem, hanc Epistolam negarunt Arriani esse canonicam.

CAPVT III.

Eadem veritas ex Patribus ostenditur.

Per multa, & eque præclara sunt Patrum testimonia pro catholica veritate, non modo Patrum, qui post Concilium Nicenum fuerunt, quibus patrum deferunt Arriani, verum etiam antiquorum, qui multo ante scripserunt. Est in primis Dionys. c. primo de diuinis nominibus, & ca. 3. de Mystica Theologia, vbi expresse cum vnitatem deitatis Trinitatem personarum ob fecunditatem concedit. Idem discitis verbis tradit Martialis in Epistola ad Burdegalenses cap. 10. Ignatius in Epist. ad Philipp. vbi ait credendum esse, non in vnum trinominem, nec in tres Incarnatos, sed in tres eiusdem honoris, & alia multa. Sunt etiam Iustinus in lib. de recta fidei explanatione & in Apologia ad Antonium, & in Dialogo cum Triphone, Athenagoras in Apologia ad Antonium, Irenæus lib. 3. contra hæreses cap. 6. 8. & 10. Clemens Alexan. lib. primo paedagogi de Origine iam satis diximus cap. primo huius disputationis, Tertull. lib. 4. aduersus Marcionem cap. 25. & lib. aduersus Praxeam cap. 9. & 10. Pro eadem catholica veritate scripserunt Athanas. orationes contra Arrianos, Hilarius libros de Trinitate, Ambrosius de fide Orthodoxa contra Arrianos, Aug. libros de Trinitate, sed speciatim contra sermonem Artij. contra Maximinum Arrianum, contra Falicianum. Cyrillus libros de Incarnatione, Idacius Clarus librum aduersus Variandum qui habetur tomo 5. Bibliot. sacræ, Gregorius Baticus Episcopus Eliberianus librum de Trinitate & fide contra Arrianos, qui est in 8. tomo Bibliot. sacræ, & alij, quos longum esset recensere. Definita denique est hæc veritas ab Ecclesia, primum in Concilio Niceno sub Siluestro Papa & constantino Imperatore, postea idem Imperator anno 30. Imperij conuocauit Hierosolymam concilium, vbi idem definitum fuit & Symbolo Niceno addita est particula, *consubstantialiam Patri*, Græcè *ὁμοούσιον ὁμοῦσιον*, eo quod hæretici Semiarriani *ἡμιούσιον ὁμοῦσιον*, id est similis substantiæ, solum esse dicebant, addiderunt, etiam ibidem Patres partem illam, *Deum de Deo, Deum verum de Deo vero*, Deinde in Concilio Constant. r. cap. 7. & in Tolet. primo, in confessione fidei, in Ephesino sub Cælestino, in Chalcedonensi, & in alijs multis idem definitum est.

Ex Summis Pontificibus idem statuerunt Felix Vazquez in 1. partem Tom. II.

1. in Epistola 3. Marcellinus primus in Epistola ad Salomonem: Anacleus Epistola prima; Ioan. secundus Epistola ad Valentinum, Plura in confirmationem eiusdem doctrinæ possemus adducere: sed hæc sufficiant, vt nouos Arrianos pudeat, iam diu damnatam doctrinam ab inferis reuocasse. Sed eorum argumenta, aut potius peritiles argutias audiamus.

CAPVT IV.

Argumenta Arrianorum.

Primo loco Valentinus Gentilis, & Transiluanus argumentantur ex Ignatio Epistola ad Magnesianos, vbi de Christo ait, *Vnum & solum verum Deum Patrem suum annuntiavit*. Vnde colligunt, ergo solus Pater est verus Deus, non filius. Verum particulam *solum*, perperam Valentinus intellexit: ea enim refertur ad Deum, quem solum & verum appellat, sicut Ioan. 7. *Vt cognoscant te solum Deum verum*, vt excludat alios Deos: sed non refertur ad Patrem, vt excludat alias personas in eadem natura, sicut ex verbis citatis satis liquet.

Secundo obijciunt eundem Ignatium in Epistola ad Tarsenses, vbi de Christo ait. *Et quia non est ipse ille, qui est super omnia Deus, sed filius ipsius*, sentit ergo filium Dei non esse Deum super omnia. Respondeo non negare Ignatium Filium Dei esse Deum super omnia: cum postea paucis interiectis de Christo dicat, illum non esse purum hominem, per quem, & in quo facta sunt omnia: id quod latius profectur: & aliquibus interpositis ait. *Quomodo ergo huiusmodi homo est purus*, ex Maria demum habens initium, vt esset, non potius Deus verbum, & Filius vnigenitus, de quo dictum est, *In principio erat Verbum*, &c. Vbi aperte Deum esse confitetur: in illis ergo prioribus verbis consulto non dixit Ignatius, *Et quia non est Deus super omnia*, sed. *Et quia non est ille, qui est super omnia Deus*, volens solum Filium à Patre supposito distinguere, & asserere esse aliam personam ab illo, dixit ergo, *non est ille*, pronomine enim *ille*, denotauit personam. Nam quædam verba Pauli appropriauit Patri, quædam Filio, personæ Patri tribuit illa *Vnus Deus Pater*, ex quo omnia, & hunc dixit appellari super omnia Deum, illa vero, *Vnus Dominus Iesus Christus*, per quem omnia, applicauit Filio.

Tertio afferunt eiusdem Ignatij verba in Epistola ad Philippen. probat enim in principio Epistolæ, Patrem esse vnum illis verbis, Deut. 6. *Dominus Deus tuus Deus vnus est*. Deinde post medium introducit Christum loquentem cum Sathana tempore temptationis in hæc verba, *scio eum* (scilicet Deum) *noni vnum solum, cui non denego seruire*, à quo tu apostata factus es, non sum Antitheus, hoc est, contrarius Deo, confiteor eius eminentiam. Ex quibus colligunt Transiluanus solum Patrem esse Deum, cui seruirus debeat. Miror tamquam obsecratos habeant oculos hi noni Arriani, qui præclarum testimonium de Christi diuinitate in eadem Epistola verbis interiectis non viderint, aut potius vidisse dissimulent. Nam postquæ probauit, vnum esse Patrem, non multos, ex illis verbis Deuteronomij, subiungit, *vnus quoque & Filius Deus verbum, vnigenitus* (inquit) *qui est in sinu Patris*, cum ergo ait, *Dominus Deus tuus Deus vnus est*, approprians illa verba Patri, non negauit Filium

quicquid de-
cuerunt.
Ea hinc.
Marcellini
Anacleus.
Hyginus,
Ioan. 2.

Prima obie-
ctio hære-
ticorum ex
Ignatio.
Valenti.
17.

Ioan. 17.

Secunda ex
eodem obie-
ctio.

Solutio.

18.
Tertia ex
eodem obie-
ctio.

Renouatus
ex eodem
loco.

lium etiam esse eundem Deum; quare cum postea Christus dicit, *noni unum solum* (Deum scilicet) non unam tantum personam confessus est, sed unum Deum, & ei se debere seruire, intelligens secundum humanitatem; nam Christum non esse purum hominem latissime antea in eadem Epistola probauerat. Fateor ex illis verbis Deuteronomij non recte probari unitatem personæ Patris sed naturæ, nisi appropriatione quadam eis vti velimus.

Quartò arguit ex eodem Ignatio in fine Epistolæ ad Antiochenos, ubi ait, *Valete Christo, & Deo*, distinguit ergo Christum à Deo. Sed hæc friuola sunt, distinguit enim Ignatius Christum à Deo ratione humanæ naturæ, nam, & nomen, *Christus*, aliquando naturam ipsam humanam, quo vincta fuit, significat, vt notabimus 3. parte, quæstion. 19. artic. 9. ex Concilio Francofordienfi.

Postremo allegant pro se illa verba eiusdem ex Epistola ad Ephesios, *Medicus autem noster est solus verus Deus vnigenitus, & inuisibilis Dominus omnium vnigeniti Pater, & genitor: habemus autem medicum etiam Dominum nostrum Iesum Christum ante secula Filium vnigenitum, & in principio verbum*. Ex quibus nescio, quid miseri Arriani inferre possunt, cum plane fateatur Filium vnigenitum esse medicum nostrum, & verum Deum ante secula genitum, & verbum. Cum vero solum Deum verum appellat medicum nostrum, non solum aliquam personam Trinitatis designat: sed solam naturam Dei, excludens quoscunque alios falsos Deos. Hæc enim ratio in scriptura noster Deus solus verus Deus appellatur.

Secundo loco argumentantur ex Iustino in Dialogo cum Triphone longe ante medium, ubi referunt dixisse, Christum esse alium Deum præter mundi creatorem: quo sane testimonio non tam Arrianismum, quam Tricheismum videntur probare. Verum quamvis Iustinus habeat verba, quæ id videatur indicare, si tamen totus eius discursus legatur, potius contra Arrianos manifeste probat, Christum esse Deum. Ex illo enim loco Genes. 10. *Pluit Dominus à Domino ignem, & sulphur*, contendit esse Deum ex Deo, quo pluralitas personarum in eadem natura adstruitur: inquit ergo,

illi (scilicet Iudæi) se quidem intellexisse dixerunt, sed locos, quos protulisset, nihil valere ad docendum Deum vel Dominum, alium quendam esse, aut dictum esse ab Spiritu sancto, præter vniuersi conditorem. Tum ergo rursus vobis inquam persuadere conabor, qui scripturas cognitas habueritis, id quod dico esse, argui dici Deum, atque Dominum alium præter vniuersi parentem, qui etiam Angelus vocatur, quod hominibus nunciet, &c. Ex quibus verbis illa, *Deum, vel Dominum alium*, non debent sine inciso legi: sed post *Dominum*, distinctio debet poni. Contendit enim contra Triphonem, Christum, cuius personam gerebat Angelus qui inter tres, qui apparuerunt Abrahamo, videbatur Dominus, & pluit à Domino, esse Deum de Deo, & ideo dictum esse, *Pluit Dominus à Domino*: non ergo vult ostendere esse alium Deum, sed esse alium, qui sit etiam Deus præter eum, cui vniuersi creatio, & cõseruatio appropriatione quadam tribuitur: qui est Pater. Et prædicto modo intelligendus est Iustinus in toto illo discursu, cū dicit, Deum, & Dominum esse alium ab eo, qui

condidit vniuersum. Potro Iustinum velle, solum in deitate aliud suppositum præter personam Patris ostendere, non alium Deum, verba illius, quæ paulo post subiungit demonstrant: ait, *Tum ergo rursus ad scripturas me refero, vobis, persuadere conabor, hunc, Hunc qui Abrahamo, Iacobo, & Moysi visus est, scriptus est Deus, diuersum esse ab eo Deo, qui omnia condidit, numero dico, non consilio, & sententia*. Vt nota primum, non dixisse Iustinum, esse diuersum Deum, sed esse diuersum ab eo Deo, qui dicitur omnia condidisse, hoc est, à Patre. Nam quamuis etiam Filius creauerit omnia, Patri tamen Scriptura, & Patres appropriatè videntur creationem, & potentiam: Filio vero non item, sed per ipsum, aut in ipso omnia condita fuisse dicitur, vt infra quæst. 45. artic. 6. dicemus. Deinde obserua, cum dicit alium numero, non intelligere, qui natura etiam numerice (vt aiunt) distinguitur, alioqui, & consilio, & voluntate differret, cū ergo dicat, esse vnã virtutem sententiam, & consilium, vnã etiam fateatur esse naturam, & numero solum differre ait, quod supposito distinguatur, quo pacto etiam loquitur Achanas in ratione contra Gregales Sabellij ante medium. Ex qua sane doctrina diluissent multa hæreticorum argumenta, quæ ex Irenæi verbis deducuntur, quibus videtur præter Deum creatorem cœli, & terræ confiteri dominum nostrum Iesum Christum: sicut etiam in Symbolo Apostolorum, & Nicæno habetur. Ita enim primæ personæ tribuitur creatio, vt non negetur alijs: sed appropriatione quadam (vt infra dicemus) designatur, & præter eum confitemur etiam personam verbi, cui alia tribuuntur: & personam Spiritus sancti similiter. Mito multo alia, quæ Tenelliani pro suo Arrianismo allegant, quod minoris momenti illa sint, & facile quicque ea possit diluere: mitto etiam multa, quæ ex scripturis Antius adducebat, quæ apud prædictos Patres inueniunt, nam fere omnia eo spectant, vt filio Dei tribuantur in Christo naturam: cum qua nihilominus integra, & vera in sua maiestate permansit diuina. An vero illud Ioan. 14. *Pater maior me est*, hoc pacto sit intelligendum, dicemus infra disputatione 169. cap. 2.

CAPIT. V.

Ad significandum Filium, & Patrem esse eiusdem nature, recte vti Ecclesiam nomine Homousios, Hoc est, consubstantialia.

Hæcenus ostendimus, filium esse eiusdem cum patre substantiæ, & essentiz: sed quia in rebus fidei non tantum oportet scire, quid sentiendum sit: verum etiam rectum modum loquendi seruare: pauca hic de nomine Græco, *housios*, Homousios, Latine, *consubstantialia*, de quo alibi in Ecclesia Dei dissensio fuit, subijcere oportet: præcipuum erit. Vocabulum hoc fuisse à concilio Ariminensi, tanquam nouum reformatum, restantur Atha. in Epistola de Synodis Arimini, & Seleucia, Aug. 3. lib. contra Maximinum episcopum, ante medium: eandem vocem refulasse concilio Sirminense, narrat idem Athanasius, & Epiphanius de hæresi. 73. Constantinus etiam Imp. in Epistola ad

Quarta ex eodem friuola obiectio.

19. Postrema obiectio ridicula.

Obiectio alia ex Iustino sumpta.

Soluitur ex contextu.

20.

Alexandrum, & Arrium dixit, vanam esse de hac voce questionem, quam neque requirere, dignum est, (inquit) neque de talibus respondere querentibus. Concilij quoque Ariminens. libertatem imitatus Erasmus, ut refert Catherinus in tract. de immaculata conceptione, ita asserit, Si quid auctoritatis habuisset in illis Synodis, in quibus de orbis concordia tractabatur, sufficiens prestare, ne scire quid sibi vellet homouisi verbum in personis diuinis, quam tanto rerum tumultu, vel tueri, vel impugnare. Dispicit etiam hac vox patribus Concilij Antiocheni contra Paulum Samosatenum, ut scribit Hilarius lib. de Synodis versus finem. Sed & multis praterea Catholicis, ut Hosio, & aliis non probabatur, sicut habet idem Hilarius: quia erat causa ambiguitatis, ne scilicet videretur, aut cum Samosateno sentire, aut pro Homouision, Homouision, dicere, hoc est, similibus substantia, qua voce utebantur Arriani. Ea vero praeferim ratione heretici nostri temporis cum antiquis Arrianis eam odio prosequuntur, quod exoticam, & a patribus in Niceno Concilio inuentam esse putant: nec in sacris litteris vquam reperitur.

Est tamen vox hac in veneratione habenda, vleo praeferim, quod contra Arrianos, quibus inuisa est, apprimè explicet doctrinam; quam de filij diuinitate Catholica tradit Ecclesia. Ut enim recte admonet Athanas. in Epistola de Synod. Ariminens. & Seleuciensi non longe à fine, & Basil. in Epistola ad ancillas Dei, Ambrosius lib. 3. de fide cap. 7. Hilarius in lib. de Synodis versus finem, hoc nomen significat non solum ea, quae secundum essentiam cognata sunt, sed quando causatiui. (inquit Basil.) & id, quod cum causatiui existentiam habet eiusdem existentiae naturae. Neque opus est, sicut notat Athanasius, ut aliquis alteri homouisionem dicatur, ambos ex vna tertia substantia processisse: sed satis est, si vnus ab alio sicut vnigenitus in vna natura, & substantia oriatur.

Addit Epiphanius in libro Anchorato, longe diuersum esse nomen Synouision, à voce, ὁμοούσιον Homouision; nam Synouision, ita significat vnitatem substantiae, ut non denotet vllam distinctionem; quare illud admittet Sabellianus: at vero, Homouision, cum distinctione vnus ab alio eandem naturam & substantiam significat: merito ergo vox Homouision recepta fuit ab Ecclesia, utpote qua optime heretis Arriana confutaretur, de qua praeferim praedictos patres differunt, eamque approbant. Hilarius lib. de Synodis, Marius Victorinus lib. aduersus Arrium, & in speciali tractatu de hac voce qui habetur 5. tom. Biblio. sacrae, Isidorus lib. 7. Ethimologiarum cap. 2. Epiph. haeresi 68. Cyrillus lib. 1. de Trinit. August. Epistola 174. & 178 Fulgentius contra Arrianos ad septimam objectionem.

Quae vero adduximus contra vsum huius nominis leniora sunt. Primo mirum non est, duo illa Concilia Ariminense & Sirminense, quae legimus non fuerunt, eam vocem respicere, tanquam nouam, nec in sacris litteris contentam, cum Arrianæ haeresi plurimum fauerent: id quod ut melius decerneretur sibi viderentur, vocem aliquam qua utebantur Arriani, eadem de causa, quod exoticæ esset, nec in sacris litteris haberetur etiam rejicerent, nempe ὁμοούσιον, Homouision, hoc est similibus substantia, & naturae: sic enim videbantur

sibi, Arrianis non consentire, cum tamen eorum sensum plene retinerent. Erasmus etiam nullius apud nos est auctoritatis, cum nimia sua dicendi licentia omnium fore haeresim semina posuerit.

Secundo de Constantino dicimus nimio zelo pacis modum excessisse, quod sibi videretur ea ratione pacem inter omnes componere: potuitque imperator Catholicos male de hac re instructos, sententiam illam amplecti, ut vox illa communi consensu rejiceretur.

Tertio de patribus Antiocheni Concilij aliter dicendum est: nempe antequam Arriana heresis, aut aliqua de hac voce cum Arrianis oriretur controuersia, eam solum reiecit in sensu Pauli Samosateni, qui illa utebatur, ut significaret Patrem, & filium esse duas substantias numero diuersas, eiusdem tamen speciei, sicut sunt Petrus, & Ioannes: de quo Concilio inquit Athan. in Epistola illa de Synodis in hac verba, Qui enim Samosatensem susceperunt, hanc vocem consubstantialitatis corporaliter acceperunt, quam Paulus Sophisticari vellet, & diceret, si Christus non ex homine Deus factus est, (intelligit per gratiam: ille enim purum hominem Christum dicebat) igitur consubstantialis est Patri, & necessario sequitur tres esse substantias, vnam quidem quae prior sit, ut princeps, reliquas vero duas ex ea oriundas. Ideoque merito vitantes illud sophisma Pauli dixit, Christum non esse consubstantialem: quod qua ratione sequeretur ego non satis intelligo. De eadem re Hilarius in lib. de Synodis versus finem sic ait: Male Homouision Samosatenus confusus est: sed quid melius Arriani negauerunt, Oroginta Episcopi olim respuerunt, sed recentis decem, & octo nuper receperunt, &c. Certe, ut ex Athanasio constat, Samosatenus non dicebat Filium esse consubstantialem, sed ut absurdum contra Catholicos inferebat. Eam vero vocem non fuisse admissam ab Hosio, nihil facit Hilarius, & merito: obicit autem sibi in hunc modum: sed Homouision potest male intelligi: Respondet ipse, Constituat, qualiter bene possit intelligi.

Quarto nihil refert, hanc vocem non esse in scriptura, ut Patres citati notarunt, si vere significat id quod scriptura docet: nempe Filium esse suppositum distinctum à Patre: sed eiusdem cum ipso substantiae, & naturae. Sic etiam responder August. tractu 97. in illa verba, ego & Pater vnum sumus, & Athanas. in Epistola creditis Nicenae Synodi longe à medio. Et haec sane solutio optima est: neque enim solum vocibus scripturae videtur nobis esse: sed quibusque aliis uti licet, si rem in scriptura contentam recte expriment. Conantur nihilominus Amb. lib. 3. de fide c. 7. & Cyrillus 1. de Trinitate nomen hoc ex scriptura deducere. Tum quia Luc. 6. dicitur panis supersubstantialis, tum quia nomen, υἱα, derivationem aliquam habet ex Scriptura, Exod. 3. ego sum qui sum, Graece, ὁ ὢν, à quo fit ὁμοία, υἱα, sed opus non est ad ista confugere.

Postremo de nouitate vocis dicimus, non à catholicis, sed ab Arrianis inuentam fuisse, sicut testatur Ambr. cap. illo 7. ut suum introducerent errorem. Nam Euseb. Nicomediensis Arrianus scripsit in quadam Epistola hac verba, quae refert Ambr. si verum Dei Filium, & increatum dicimus, Homouision cum patre incipimus confiteri. Quae Epistola cum recitata esset in concilio Niceno, Patres (ut ait Ambr.) hanc vocem in tractatu fidei posuerunt.

25.
Cnr reitā sit in Conc. Antioch. Samosat.

Athanas.

Hilar.

26.
Non est cur reiciatur, quod in scriptura non sit.

Augustin. Athanas.

Ambr. Luc. 6. Exod. 3.

Quando uos eius inciperet. Ambr. Euseb.

27.

suerunt, quod viderent aduersarijs esse formidini vt tanquam euaginato ab ipsis gladio ipsum nefanda caput heresis amputarent. Quod ergo illi renuebant concedere, vt suam hæresim adstruerent. Concilium mutua eadem voce merito definiuit. Falluntur ergo noui Arriani, cum asserunt, vocem hanc in Concilio Niceno fuisse introductam. Hac etiam voce vsum fuisse Dionysium Alexandrinum & Dionysium Papam Romanum testatur Athanasius loco paulo ante allegato.

Dionys. A.
lexand.
Dionys. P. a.
Athanas.

Vox Homi-
nifios non est
vsurpanda.

Hylarius.

Athanas.

Porro obseruandum est, Semiarianos quodam alia simili nomine vfos, suum errorem stabilire voluisse. Apellabant, enim Filium Dei vt vnitatem essentiae illius cum Patre retenta sola similitudine quæ cum distinctione constare potest, prorsus negarent. Hanc vocem non omnino suspectam habuit Hylarius in lib. de Synodis sub finem. vbi post multa, quæ de vtroque nomine dixit sic ait. Testor Dominum celi, atque terra, me cum neutrum Audissem, semper tamen virumque sensisse, quod per Homiusion, Homouision oporteret intelligi, id est nihil simile sibi secundum naturam esse posse nisi quod esset ex eadem natura. Athanasius vero quamuis in Epistola citata contra Synodum Sirmienensem & Ariminensem, videatur probare nomen *Homouision*, hoc est similis substantiæ: addit tamen, eo non rectè significari originem vnius ab alio in vnitatem eiusdem naturæ, imò propriè dici similitudinem in natura, & substantia. Similis enim in qualitate, forma, seu figura, non in substantia dici consuevit. Sed quomodo cumque illud sit, quia Arriani hac voce malitiosè utebantur, nullo modo à nobis est vsurpanda.

DISPUTATIO CX.

An Spiritus sanctus tertia Trinitatis persona sit eiusdem substantiæ cum alijs.

Heretici negant Diuinitatem Spiritus sancti, cap. 1.
Catholica veritas probatur, cap. 2.
Argumenta Macedonianorum diluuntur, cap. 3.

CAPVT I.

Heretici negant Diuinitatem Spiritus sancti.

1.
Macedon.
hæresis
autior
fuit, & Ar-
rianus.

Macedonii
sectatores.

Bernardus
Lutzem.

Spiritus sancti diuinitatem impugnasse dicuntur Macedoniani, à Macedonio sic appellari, qui hanc hæresim docuit tempore Constantini Imperat. & Liberij Papæ: hic sequens fuit etiam error Arrii circa personam filij, de quo disputatione præcedenti satis dictum est. Et rursus Arrius, idem quæ Macedonius de Spiritu sancto docuit, sed quia Arriani diuisi sunt, & magis de persona filij contra illos fuit disputatum, contra Macedonium vero præsertim actum est de persona Spiritus sancti; ided hæc hæresis dicta est Macedoniana; sectatores vero illius *πνευματομαχοι* Pneumatomachi vocati hoc est, Spiritus Impugnatores; aliam enim nominis Etymologiam, quam comminiscitur Bernardus Lutsemburgensis, merito refellit Castro aduersus hæreses verbo, Deus, hæresis. 10. dicebat namque Bernardus, Macedonium docuisse, Spiritum sanctum ex Filio Dei, & ex matre processisse, & ided Pneumatomachum, fuisse

appellatum. Hunc tamen errorem non solum Macedonius non docuit, verum nec vllus alius hereticus. Ante Macedonium vero heretici dicti abstinentes, diuinitatē Spiritus sancti eodem modo atque Macedonius negarunt, vt scribit Philaster in libello de hæresibus. Fuerunt autem sub Diocletiano, & Maximiano Imp. & Marcelino Papa. Postea sequutus est quidam hereticus nomine Arrias, à quo dicti sunt Arriani. Porro ex Arrianis non solum aliqui dicebāt, Spiritum sanctum non esse consubstantialē Patri & Filio, sed etiam esse minorem filio. Huic errori similis est alius Valentini, qui dicebat Spiritum sanctum esse quendam Angelum, vt affirmat Athanasius in Epistola longiori ad Serapionem post medium, quod sane commentum quibuldam Arrianis placuisse, scribit idem Athanasius. Imò hac nostra aetate Transiluanos, & Seruetianos, & Franciscum Davidis, in eodem fuisse testantur aliqui huius temporis auctores. Huc etiam spectat error Abailardi, qui, vt constat ex Bernardo Epistola 109. dixit Spiritum sanctum esse animam mundi; eumque esse inferiorem filio, quia Patri tribuebat omnipotentiam, filio semipotentiam, Spiritui sancto nullipotentiam. Dicebat etiam Spiritum sanctum non esse de substantia Patris, et tamen consubstantialē esse, quæ duo ita cum pugnant.

CAPVT II.

Catholica veritas probatur.

Plura possemus imprimis veteris Testamenti testimonia adducere quibus Spiritus sancti diuinitas probaretur; sufficiant tamen nobis aduersus hereticos præcipua noui Testamenti loca quibus magis aperte id asseritur. Matth. vltimo. Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei. A. 1. Tim. 3. Saluum nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti. Ex quibus locis optime Notant. argumeatur pro diuinitate Spiritus sancti, his uerbis; Si non est Deus adorandus Spiritus sanctus, quomodo me Deum per baptismum efficiat? ac si dicat, in baptismo eius inuocatione sanctificor, & efficior Deus participatione sanctitatis, ergo ille est Deus adorandus, quia solus Deus est, qui sanctificat. & delet peccata. Idem argumentum fieri potest ex illo 2. Corinth. 3. Gratia Domini nostri Iesu Christi, & caritas Dei, & communicatio sancti Spiritus sit cum vobis, Amen. Quid enim aliud est communicatio sancti Spiritus, nisi animæ sanctificatio? ille igitur auctor est sanctitatis: ac proinde Deus. Deinde Act. 5. Dixit autem Petrus, Anania, cur tentasti Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto? non es mortuus hominibus, sed Deo. Denique 1. Ioan. 5. Tres sunt qui testimonium dant in celo, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt.

Secundò probatur hæc veritas decretis Conciliorum, quibus contra Arrium definitur filius cōsubstantialis Patri, & in quibus recipitur Synbolum Nicænum, in quo de Spiritu dicitur: Spiritum sanctum Dominum, & viuificantem, qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur. Definuit etiam in Concilio Lateranensi sub Innocentio 3. & refertur in capite, Firmiter, de summo